Illustriss. viro Marco Myronio Henrici 3 Gall. et Polon. regis archiatro prestantiss.

Simon Pietre S. P. D.

Faciam (Vir Clariss.) quod in oppugnationibus veteres Romani solebant, ut deum cuius in tutela urbs esset, votis solennibus invocarent, sed illius dei nomen occultari volebant, ne si hostes rescirent illi modo propitium redderent: sic enim cum pro thesibus veritate tanquam pro aris et focis mihi contra viros doctrina cumulatos in disputando acie, et ingenii subtilitate admirabiles dimicandum esse intelligam pene desperans meisque diffidens viribus te huius theseos deum tutelarem supplex imploro: neque tamen in hac liberali aliorum contentione tuum numen, nomenque clarissimum prae me ferre ac vulgare dubitem, cuius amplitudo eruditissimos homines ad hoc certamen et veritatis studium invitabit, me vero ad eorum impetus strenue sustinendos et concertationis casus omnes fortiter subeundos invitabit. Ergo ades et votis jam nunc assuesce vocari. Vale.

199

Quaestio medica Quodlibetar. Disput. agit.da in Scho. Medi.rum die Jouis 9a Januar.

D. Marco Myronio Henrici 3 Gall. et Polon. reg. Archiatro Prudentiss.

disceptatore.

Suntne morborum omnium subiecta, causae, et signa?

Humanum corpus cum naturale sit, et organicum omni sua subditum, eique praestantissimas partium similarium, speciei ac situs constitutione ~~[illegible]~~ scita conformatione instrumentorum, omnique simul admirabili, et concordi unione constare voluit, ut suas omnes integras obiret actiones; quarum cum ipse facultatum laesio ab eo affectu proximo nascitur, qui a symptomate, causaque morbifica eo maxime differt, quod contra naturam insideat corpori, similare illud quidem aut organicum est vel continuum, et omnis ex aptissima utriusque coagmentatione.

Similaris morbus non modo corporis temperiem naturalemque labefactat sed eius quoque formam ad quam venenati, contagiosi, pestilentesque morbi in quibus divinum quid agnoscimus referuntur. Organicus in prava numeri, magnitudinis, situs, conformationis mutatione consistit, ipsius vero conformationis vitium tria haec morborum genera complectitur figurae, cavitatis, et meatuum asperitatis, et laevitatis. Communis morbus continui solutio est similari tantum nec ea quidem omni in parte curabilis, cuius hae imprimis differentiae constituuntur [illegible], ulcus, fractura, luxatio, et tumor contra naturam.

Causae morborum tres omnino sunt, materia quae subiectum ipsum est, forma cuiusque morbi ratio, et efficiens. Nullus enim est finis morborum. Efficiens ut in ceteris rebus naturalis, sic in morbis praecipue consideratur, eaque triplex, evidens quae corpus extrinsecus afficit, et interiores affectus excitat; antecedens quae coniunctas morborum causam movet. Coniuncta ad quam continens ipsa pertinet, postrema est omnium et necessaria maxime ad generationem, cognitionemque morborum.

Evidentes similarium morborum causae ab aeris et diaetae vitio petuntur, atque inimico influxu coelorum, quae cum nullam curationis ἔνδειξιν afferant, ipsae tamen conferunt ad latentis affectus ~~[illegible]~~ dignotionem. Antecedentes praecipuae sunt plethora et cacochymia a quibus coniunctae in quoque morbo singulae [illegible] in organicis, communibusque morbis eaedem causae inveniri possunt, sed in hac externae quae laedia continent in illis internae frequentius accusantur.

Signa morborum ἀναμνηστικὰ pertinent ad antecedentium causarum, morborum, et symptomatum recordationem. διαγνωστικὰ magna parte ceteris viribus habent ad bene medendum, suntque vel propria quae affectum ipsa per se recto demonstrant, vel communia quae sunt collecta morbos plerumque designant et ostendunt. Hic accedunt ἐπιγενόμενα quibus occulti etiam morbi deprehenduntur. προγνωστικὰ in omnibus morbis ex morbi et naturae varia contentione desumuntur, ut si cocta morbi causa se se prodeat, spem afferant salutis, sin minus interitum illa portendant, aut morbi significent diuturnitatem.

Ergo sunt morborum omnium subiecta, causae, et signa.

Afferebat Simon Pietre Parisinus. 1586.

Dni. Doct. disputaturi.

M. Claudius Fauvelet.
M. Ludovicus Dreux.
M. Dominicus Bourgoing.
M. Julianus Berè med. Reg.
M. Nicolaus Marchant.
M. Germanus Courtin.
M. Olivarius de Violaines
M. Girardus Denisot.
M. Petrus Collier decanus.


F.L.P. BIBLIOTHÈQUE